
DE URBIUM SAXONIÆ ET DORINGIAE ORIGINIBUS.





I. Urbium origines sunt obscuræ. II. Taciti ævo nulla urbs aut castrum in Saxonia fuit. III. Teutoburgum, cujus in Variana clade mentio fit, non est urbs, sed silva. IV. Qvid πόλις apud Ptolomæum significet, quando de Germanis usurpatur. V. Ex Cæsare probatur. VI. Svevi pro primis conditoribus habentur. VII. Tautenburgi origo & etymologia, item de Dornburgo. VIII. Heinricus I. plures urbes condidit & munivit. IX. Naumburgi quis autor. X. Cujus Naumburgi Landgravii fuerint Domini. XI. Themata Orationum.

§. I.



Rdua, & magni laboris res existimatur, urbium castrorumve, quæ vetustate gloriantur, indagare origines: Nam nihil tam abstrusum, nihil tam remotum ingenio est humano, quam qvod antiqvitate involutum tenetur: Ad fontium origines, quanquam in secretissimis latitent secessibus, sedulus indagator accedere tandem potest; sed antiqvitas, quæ gremio quasi res celeberrimas complectitur, omnem operam, omnem conatum, atqve diligentiam tacita eludit, ut vel laboriosissimus fateatur oporteat, se præter conjecturam nihil occupasse. Hoc qvidem deterret multos, ut ne iisdem vestigiis insistentes, operam & oleum perdant; nihilominus ea est mentibus insita libido, res absconditas eruendi, ut non minus ac Ceres, quæ, Proserpinam per universam terram investigando, ab ortu ad occasum, & à Septemtrionibus ad Austrum percurrit, litterarum orbem pererrando fatigentur; Nec tamen affirmare possint, se ullum rei investigatæ indicium invenisse, quod tamen Cereri tandem contigisse fabulæ referunt. Hinc cum & ego id negotii aggrediar, etiam atqve etiam rogo, ne sinistrè accipiatur. Omnes per scrutantes spes rei inveniendæ tenet, forsan mihi fortuna favet, ut pro-

piu_s

pius ad origines accedam. Velim autem scias, me earum rerum, quas Oriens habet, curam non tangere: Patria satis dives est, immò tanta abundat copia, ut dubitem, an ulla aut diligentia, aut ætas eam exhaurire possit. Igitur apud animum meum constitui, tantum urbium antiqvarum, qvæ in Doringia & Saxonia sunt, origines pro viribus evolvere.

§. II. Tacit. in lib. de mor. Germ. cap. XVI. claris verbis indicat, primo Seculo post Christum natum, nullas in Germania urbes fuisse, quando *nullas* inquit, *Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes colunt discreti & diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis, suam quisque domum spatio circumdant sive adversus casus ignis remedium, sive inscitiâ ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum usus &c.* Hæc verba, quanquam ita perspicua sint, ut cuilibet eorum sensus pateat, nonnulli tamen ex Annalibus eius, quos ingenti studio composuit, aliud evincere se posse existimant. Nam cum L. I. c. 60. de pugna & clade, quâ Romanus exercitus cum Duce Varo occidione occubuit, verba facit, locum designaturus, silvam Teutoburgiensem nominat: *Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum: Haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionumque insepultæ dicebantur &c.* Nec res tam levis momenti videatur, quin expositionem mereatur. Nam clarissimi Geographi pro certo habent, silvam hanc ab urbe nomen accepisse; sed in eo tantum dissentiunt, cui provinciæ aut urbi hoc decus conveniat. Quidam Doesburgo Geldriæ, nonulli Duisburgo Cliviæ, alii Dietmellæ Westphaliæ illud vindicatum eunt. Sed nemo illorum veritatis speciem, ne exiguam qvidem, suæ sententiæ affingere potuit. Meam super hac re ut exponam opinionem, persvasum habeo, in loco Taciti, ubi expressis verbis negat, suo tempore urbes in Germania extitisse, nihil esse immutandum, sed potius cogitandum, quomodo alter locus commodè explicetur. Si enim Taciti ævo nulla urbs in Germania fuit, certe haud credibile videtur, olim Augusto imperante, tam insignem jam fuisse, quæ cum silvâ, multum in longitudinem & latitudinem patente, nomen communicare potuit.

§. III. Cum igitur Teutonici munimenti, aut burgi, mentio fit, non de castro aliquo, aut urbe, aut arce, solidis mœnibus cincta, sed ipsa de silva est intelligendum: Quod enim castrum tam firmum? Quæ urbs tam valida est? Ut cum silva Teutoburgiensi, quæ nostro tempore Semana dicitur, comparari possit. Verisimile igitur est, passim cum Ro-

mani

mani castella exstruerent, Germanos eis illudentes sermone crebro jactasse, silvam sibi pro munimento esse. Hoc etiam veteres Romanos sensisse ex Cæsare patet, qvando in Bello Gall. Lib. VI. c. 10. *Silva*, inquit, *est ibi infinita magnitudinis, qua appellatur Bacenis*, (Althamerus interpretatur Doringer-Wald) *& longè introrsus pertinet, & pro muro nativo objecta, Cheruscos à Svevis, Svevosque à Cheruscis injuriis incursionibusque prohibet.* Avent. Lib. de Saxon. Cæs. pagin. 343. *Doringi*, inquit, *regionem possident, quæ silva Semana tanquam muro circumdatur, & ea à Bavaris, Francis, & Svevis separatur.* Et Nauclerus Generat. III. p. 459. *Titus*, inquit, *reliquias Iudæorum alloquitur, utrum multitudine freti obedire detrectatis? Germania firmitate murorum, Britanni Oceano septi adorant arma Romanorum.*

§. IV. Vides, quod munimentum, qvod propugnaculũ fuerit Germanis. Facessat igitur anilis, & simplex fabula de urbe Teutoburgo, qvam adhuc viri non exigui nominis ausi sunt recoqvere. Putant qvidem, se grande patrociniũ errori suo invenisse, quando vel audiunt, vel legunt, Ptolomæum, qvi tantum XL. annis post, quam Tacitus vivere desiit, Tabulas Geographicas composuit, quam plurimas Germaniæ πόλεις, i. e. urbes, recensere, atqve eos magis hoc in opinione confirmat, qvod Münsterus in Cosmograph. & Bilibaldus Pirckhaimerus in Explic. German: nomina civitatum, quæ Ptolomæus indicat, ad certa loca Germaniæ applicare nituntur. E. g. Mesovium Magdeburgum, Stereontium Cassellam, Sinianda Osnabrugam, Tulisurgium Brunsvicum, Teuderium Paderbornam esse conjecturantes. Nunc de Auctorum Taciti & Ptolomæi, qva excelluerunt, nolo disputare præstantia, nec utri plus fidei sit habendum, copiose inquiram, sed utriqve veritatis laudem constare, satis perspicue ostendam. Ptolomæus plures esse dicit πόλεις Germaniæ, nec hoc negat Tacitus: Nam πόλις vel civitas non idem valet, ac urbs. Hæc est communitas fossa, vel muro circumdata; illa est societas, ex pluribus consistens pagis: Pagus autem plures habet domos, qvi etiam qvanquam tecta non sunt contigua, coalescere potest, atqve vigere.

§. V. Quem fugit, in hac significatione Cæsarem, dum bellum Gallicum describit, sæpenumero vocabulum civitatis usurpare. Sed hic jam brevior ero, qvoniam in monumentis Svevorum, propediem prodituris, id ipsum exposui; non tamen possum, qvin unum exemplum rei illustrandæ causa adjiciam. L. I. Cap. 12. *Omnis civitas*, in quit, *Helvetica in quatuor pagos divisa est. Pagus Tigurinus, qui domo cum exisset, patrum nostrorum memoria, L. Cassium interfecerat, & ejus exercitum sub jugum miserat.* Qvalis hæc civitas, & qualis pagus hic tibi videtur? Orosius, Isidorus,

Liut-

Liutprandus, & alii, qvi dicunt, suo tempore Burgos in Germania fuisse, me jam nihil remorantur, qvoniam longè infra eam, de qva nunc disputo, ætatem sunt positi, hoc facile concedere possum, ipsorum ævo Burgos extitisse in Germania, & crebra habitacula constituta id nominis habuisse, ut Orosius affirmat; sed qvid hoc ad nostrum Teutoburgum, de qvo disqvirimus, cum Tacitus expresse neget, suo tempore Germanos conjunctim habitasse.

§. VI. Postqvam igitur abundè demonstratum puto, nullas urbes, aut ut seqviotis ævi, autores loquntur, Burgos in Cheruscis fuisse. Nunc ad illud tempus accedam, qvo urbium condendarum ratio placere cœpit. Cum Cheruscorum nomen, nescio, qvibus fatis, esset deletum, Saxones in eorum loca successerunt: Hi, interjecto tempore, qvasi triumphatâ Germania, partim in Angliam, partim in Italiam discesserunt, commodioris sedis qværendæ causa. Quibus digressis Svevi A. C. IↃLIIX. à Clothario II. Rege Gallorum in hanc provinciam sunt translati. Sed vix novam possessionem occupaverant, cum finitimi, spei peregrinæ gentis invidentes, eos lacessere inciperent: Imprimis autem graves patiebantur Vinidos, qvi excursionibus crebris novos vexabant incolas, ne firmas sedes figerent. At verò neqve his animus in sui tutelam deerat. Sed sicuti urbes more Gallorum, quibuscum diu fuerant versati, condere moliebantur; ita & Burgos in finibus muniebant, ut si non armis, mœnibus saltem hostium sustinerent impetum. Vinidi illi, aliàs Heneti & Slavi dicti, Lusatiam, Bohemiam & terram Variscorum incolebant, insignesqve virtute habebantur.

§. VII. Unum munimentum, qvod contra hos Svevi extruxerunt, & vulgò Tauteburgum vocatur, admodum celebre est: Cumqve antiquitatis gloria superbiat, qvibusdam opinionem ingeneravit, Teutoburgi famâ non esse indignum; cum qvod nominis ratio conveniat, tum qvod silvis undiqve sit cinctum. Verum qvo minus eorum sententia locum habere possit, multa obstare videntur, qvæ qvi scire desiderat, Taciti Annales. c. l. evolvat. In silva qvidem Teutoburgiensi situm est, an autem à Teutonibus nomen habeat, definire non audeo. Attamen si animi licet prodere sensa, à *tutus* mihi descendere videtur, ut in compositione sonet, Die sichre Burg. Nam Svevi cum Francis viventes, multa Latinæ lingvæ vocabula recipiebant, nec Sacerdotes, qui autoritate multum valebant, alia lingua utebantur: Multis insuper exemplis constat, Latinorum U à Germanis in AU mutari: Sic pro duro, Dauren / pro ruta, Raute / pro lustro, Laustern / pro murus, Maure ꝛc. dicunt. Alterum est Dorenburgum, ultra Salam præcipiti rupe, multumqve edita conspicuum. Hoc mihi dictum videtur qvasi Doringerburg, qvamvis aliter Sagittarium in an-

tiq: Regni Thur: sentire, me non prætereat. Svevos autem istos, qvi à Rheno huc venere, alio nomine Doringos esse uocatos, qvæqve causa sit appellationis, alibi copiosè ostendam. Magno certè consilio hæc munimenta condita sunt. Horum enim beneficio novi incolæ, utramqve fluminis ripam tenentes, tuti erant, nec deerant receptacula, qvò hostibus, ingruentibus, confugere poterant.

§. VIII. Jtaqve Svevis prima origo castrorum & urbium, qvæ in Saxonia aut Doringia sunt, merito debetur. Nec difficile esset hoc pluribus confirmare, nisi materia hæc modum programmatis excederet. Interjecto tempore, cum Hunni, gens immanitate barbara, longè lateqve omnia vastarent, nec Vinidos tantum vicinos opprimerent, sed etiam per istorum regiones, veluti rabidæ bestiæ, in Saxoniam & Doringiam excurrerent. Heinricus I. Heros ille, maximi animi atqve consilii, plura propugnacula exstruenda putavit, ne celeritas gentis, volucribus ferè velocioris, incautos occupet: Nonum deinde quemque ex agricolis qvem manu strenuum cognoverat, armis instructum, ea loca habitare, & omnibus viribus propugnare jussit, qvæ oppidis & castellis idonea videbantur. Qvo facto milites ferociores cives securiores, patriam illustriorem reddidit. Nam cum Harpyjæ istæ advolarent, omnia pro consvetudine pessime fœdaturæ, tempestatis instar eis superveniebat: Et cum una manus, qvæ prædabunda agros devastabat, occidione cæderetur; altera, quæ Jecheburgum obsidebat, sine prælii discrimine dilapsura, concursu multitudinis oppressa delebatur. Sic igitur Heinrico, hoc tantum Saxonia debet, quod ab externis hostibus liberata, qvod inconcussa deinceps perstiterit.

§. IX. Hanc pacem & tranqvillitatem Otto, filius haud degener, magis magisqve confirmavit, & multa præclare egit, quæ de religiosa pietate non minus, qvam de regia ejus munificentia testantur. Non enim tantum loca, qvæ pater munienda curavit, magnificè exornavit, sed nova etiam opera condidit, qvibus nihil excellentius anteà Saxonia viderat. Qvis autem Cæsarum, vel Saxonicorum principum Naumburgi nostri fundamenta posuerit, parum liquet: Attamen ex Ditmari Chronico patet, quod demum post Heinricum I. & forsan etiam post Ottonem M. condi cœperit, quod dictus autor, qui Heinrici II. tempore vixit, hanc urbem passim *Novam civitatem* appellitat. Jam verò nequaquam videtur verisimile, eum vocem Germanicam interpretari, sed potius indicare voluisse, suo tempore eam conditam & novam extitisse: Nec obscurè innuitur, ipsum Heinricum II. autorem ejus esse, quando Conradus in diplomate, qvod A. C. CIↃXXX. super mutatione Episcopatus est vulgatum: *Transtulimus*, inquit,

&

& mutavimus propter pacis firmitatem, & religionis augmentum: In memoriam scilicet Ottonis I. quin & Domini nostri Heinrici Imperatoris facientes & spem requietionis eorum, in hac re procul dubio considerantes: Nam ideo hos duos Jmperatores coniungere videtur, quod alter Episcopatum, alter urbem condidit, Eccardum quidem II. hæredem loci Pontifex Johannes XIX. nominat Vid. de Eccard. II. Sagittarii I. disput: Quod tamen non ita accipiendum est, acsi Cæsari nihil juris in urbem fuerit. Notum est, quæ tum temporis Marchionum hæreditates, quæve jura fuerint. Marchioni igitur Eccardo hic locus bene jam munitus, contra Vinidos á Cæsare defendendus traditus est, quæ muneris dignitas deinde ob merita singularia in filios quoque descendit. Sin autem jam, Ottone imperante, Naumburgum mœnibus, circumdatum fuisset, iisdemque tam firmis, ut hosti sustinendo essent, qualibus Conradi II. ætate munitum legitur, nescio, cur Cizam Episcopatui condendo Otto elegerit.

§. X. Cæterum non prætereundum est, arcem quæ è regione, ubi Unstruta Salæ miscetur, sita est, & nunc Friburgi nomine venit, olim Naumburgo nostro cognominem fuisse: Multosque multis erroribus implicuisse. Dresserus ipse in opere de urbibus, non audet definire, quodnam illud castrum sit, cui historia de muro vivo conveniat, quando dicit: Chronicon Thuringiæ mentionem facit arcis, cui nomen Neuenburg. Eò A. C. CIↃCL. Cæsar Fridericus venisse, & Ludovicum ferreum Landgravium Doringiæ visitasse dicitur &c: Ejus historia breviter quidem, sed admodum accuratè in chronico Msc. traditur quo Landgraviorum Doringiæ res gestæ exponuntur, quodve in Bibliotheca Gothana adservatur, verba ita se habent: Da Ludewig der Springer in Reichthum mercklich zugenommen hatte, bauete er bey Zusammenfliessung der Saal und Unstrut ein Stædtlein mit samt einem festen Schloss, und nannte es Nauenburg, wie wohl es jetzo Freyburg heisset / darum dass die Inwohner sind frey gewesen &c. Et quibusdam interjectis: Da der Rœmische Keyser einmahl seinen Schwæher besuchte, Wurde er von ihn auff sein Shloss Freyburg geführet. Als aber der Keyser das Schloss sahe, gefiehl es ihm nicht, dass ein solch Fürstlich Schloss mit so geringen Mauren umgeben war &c.

§. XI. Multi historiam de muro isto, quem Landgravius una nocte adornavit, urbi Episcopali Naumburgo tribuunt, ambiguitate vocis decepti: Verùm constat Landgraviis Doringiæ non tantum nihil juris in hanc urbem fuisse, sed ne castrum quidem rectè appellari posse Hæc de urbium, quibus Saxonia & Doringia gaudent, præfari libuit originibus, quoniam duo Juve-

nes

nes bonæ indolis & spei duorum Cæsarum, Witikindea stirpe progenitorum, qvorumqve memoriam nulla delebit oblivio, laudes pro viribus extollent, Senatoriæ nostræ valedicturi. Alter

JOHANNES JACOBUS BARTHIUS.
Naumburg. Misn.

HEINRICUM I. AUCUPEM,
Sagata prudentia excellentem:
Alter

JACOBUS MARTINUS LOBECCIUS.
Weissenseâ-Thuring.

OTTONEM MAGNUM,
Togatæ sapientiæ exemplar celebrabit.

Huic actui, qvi V. Id. April. & qvidem hora pomeridiana I. instituetur, ut Proceres urbis Nobilissimi, omnesqve litterati interesse velint, & sua præsentia juventuti, qvæ litteris operatur, stimulum admovere, qvo honesta expetat, necessaria quærat, utilia sectetur, ea qua decet humanitate etiam atqve etiam rogat

MARTIN. CHRISTOPH. LAURENTII.
R.

Numburgi, exprimebat Balth. Bossögel. d. 8. April. 1706.





rum , Witikindea stirpe progn
oit oblivio, laudes pro viribus cel
ter
S BARTHIUS.
ißn.
AUCUPEM,
lentem:

S LOBECCIUS.

MAGNUM,
lar celebrabit.
dem hora pomeridiana I. instituetur,
ve litterati interesse velint, & sua pro
timulum admovere, qvo honesta
terur, ea qua decet humanitate
etiam rogat
OPH. LAURENTII.

Bosögel. d. 8. April. 1706.



nes bonæ indolis & spei duorum Cæsarum, Witikindea stirpe progenitorum, qvorumqve memoriam nulla delebit oblivio, laudes pro viribus extollent, Senatoriæ nostræ valedicturi. Alter

JOHANNES JACOBUS BARTHIUS.
Naumburg. Misn.

HEINRICUM I. AUCUPEM,
Sagata prudentia excellentem:

Alter

JACOBUS MARTINUS LOBECCIUS.
Weissenseâ-Thuring.

OTTONEM MAGNUM,
Togatæ sapientiæ exemplar celebrabit.

Huic actui, qvi V. Jd. April. & qvidem hora pomeridiana I. instituetur, ut Proceres urbis Nobilissimi, omnesqve litterati interesse velint, & sua præsentia juventuti, qvæ litteris operatur, stimulum admovere, qvo honesta expetat, necessaria quærat, utilia sectetur, ea qua decet humanitate etiam atqve etiam rogat

MARTIN. CHRISTOPH. LAURENTII.
R.

Numburgi, exprimebat Balth. Bossögel. d. 8. April. 1706.



